

1507
Lex de militum delatione ex agricola.

rumor increbruerat , Maximilianum in Italiam cogitare : ne respublica ad ejusmodi casus imparior offendii posset , Senatusconsultum factum est , in Veronensem finibus eorum qui arma ferre possent , certus agrestium hominum numerus conscriberetur , qui rei militari assuefierent : iisque immunitas reliquarum rerum daretur , quo paratores ad obeunda belli munera essent , & cum vocarentur ad signa , evestigio convenienterent . Ea militum ex agris deinceps institutio ad reliquos reipublicæ fines , ut est usus omnium rerum magister , brevi permanavit : itaque nunc quidem cujusque oppidi vici , pagique partem habent suorum , qui ei rei student , ut armati paratiique sint , nullo ut interposito temporis spatio ad bellum prodire , reipublicæ celerem navare operam possint . hosque omnes uno nomine milites pro ordinibus appellaverunt . Rex post hæc Alexandrinus controversiis , quas habebat cum republica fine facto , ad justitiam & æquitatem se se dedit . itaque triremes ad mercatum eo remissæ cum magistratu Veneto , qui Alexandriæ moram traheret , cumque legato regio , de quo supra dictum est : cui proficiscenti vestis aurea cum pretiosis pellibus , aurique libræ decem sunt a Senatu dono datæ : comitatuique ejus omni indumenta honestiora tradita .

Interim a Vincentio Quirino legato , quem ad Maximilianum Patres miserant , acceptis saepè literis significabatur , Maximilianum spreta , quam superiore anno fecerat cum rege Gallorum , pace , neglectisque fœderibus , quibus illum non stetisse conquerebatur , de Germaniæ consilio statuisse , in Italiam cum exercitu accedere , ad speciem , ut tuto Romam se conferret , re , ut Mediolani regno illum ejiceret . Senatus novis equitatus & peditatus copiis munire rempublicam decrevit : itaque præfecti sunt equitum adlecti quamplures , in iis Vitellius Tifernas , & Guidus Vainus e Cornelii Foro cum militibus sexcentis , equitibus quinquaginta ambo : Jacobusque Siccus e Gallia Cisalpina , & Lucius Malvetius Bononiensis , cum turma equitum uterque gravioris armaturæ centum : tum ,

ut